



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Cap. II. De statu Clericorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

corpus sub uno capite; secus, si singula subsint suis superioribus sub Episcopo, vel immediatè sub Papa. Ratio, quia non vovit obedientiam, nisi in hoc conventu, *Laym. l. c. num. 10.* Vide etiam *Sanch. l. 7. mor. c. 32.*

CAP. II.

De Statu Clericorum.

Clerici generaliter dicuntur illi, qui sacris ordinibus vel prima saltem tonsura, sunt initiati. Ad quorum statum cum multa pertineant, de quibus alibi agendum, hic agemus de Beneficiis Ecclesiasticis, Horis Canonicis & aliis paucis.

DUBIUM I.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex Beneficium Ecclesiasticum?

Resp. I. Beneficium Ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, propter officium aliquod spirituale, autoritate Ecclesiæ constitutum. Ita *Laym. l. 4. t. 2. c. 1. Less. l. 2. c. 35. d. 1.*

Dicitur I. *ius perpetuum*, ad excludendam Vicariam, & Commendam temporalem; quæ non sunt

sunt Beneficia, de quibus Canones loquuntur.

Dicitur II. *Propter officium*: quia in Beneficio duo jura à se mutuo separabilia distinguuntur. I. Est jus, seu potestas exercendi muneris spiritualis, estque simpliciter spirituale. Alterum est jus percipiendi redditus Ecclesiasticos: quod etsi secundum se sit temporale, quatenus tamen fundatur in officio spirituali, eique annexum est, spiritualitatem aliquam participat.

Dicitur III. *Auctoritate Ecclesia &c.* quia solius Prælati est, officia in Ecclesia instituere, eisque proventus Ecclesiasticos annectere, ipsosque est dispicere, quot & qualibus ministris Ecclesia egeat.

Resp. II. Beneficium dividitur I in Seculare, quod pro secularibus, & Regulare, quod pro regularibus est institutum. Unde sine dispensatione, nec seculare regulari. Nec contra confertur potest. Porro omne beneficium præsumitur esse seculare, nisi probetur esse regulare, vel ex prima sui institutione, vel per possessionem pacificam 40. annorum: per eam enim ex seculari, fit regulare & contra.

II. Beneficium aliud est Duplex, aliud Simplex. Duplex dicitur, quod est cum administratione; ut Papatus, Episcopatus, & omnia, quæ dicuntur dignitates, hoc est, quæ habent præminentiam, cum jurisdictione in foro externo ut Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia, sive secularis, sive regularis, Prioratus claustralis. Item personatus, qui est eminentia in Ecclesia, fins

sine iurisdictione; v.g. locus honorificus in choro, in processionibus, suffragiis ferendis, ut Cantoria, & similes. Item Beneficia quæ dicuntur officia, habentque administrationem rerum Ecclesiasticarum, sine iurisdictione; ut Custos, Thesaurarius: Primicerius, Archipresbyter. Denique Duplicia dicuntur, Beneficia curata: hæc enim omnia duplici onere, & cura constricta censentur, cum præter recitationem precum omnibus communem, habeant aliquam administrationem, & eminentiam. Simplicia dicuntur, quæ tantum sunt instituta ad officia divina obeunda, neque administrationem, vel eminentiam singularem habent; ut Canonicatus, sive seculares, sive regulares, Capellaniæ. v. Laym. l. c. & Less. l. 2. c. 34. d. 2.

## ARTICULUS II.

### *Quomodo acquirantur & conferantur Beneficia?*

Resp. I. Beneficia Ecclesiastica uno ex tribus modis, communiter acquiruntur. 1. Per electionem, v.g. Canonicorum; vel etiam postulationem, (quæ est electio eius qui non erat de Capitulo, vel de jure non erat capax) & confirmationem superioris, si electum vel postulatum idoneum esse intelligat. 2. Per præsentationem Patroni præviam, & institutionem subsequam, à Prælato Ecclesiæ factum, si præsentatus sit idoneus, Et si verò Patronus præsentato jus ad rem

rem conferat, ita ut Beneficium alteri conferri nequeat, jus tamen in re, & collatio beneficii per institutionem datur. 3. collationem liberam, quando Beneficium solo jure Prælati datur, nec Patronus juri subest. Unde etiam Beneficia, ex modo conferendi, dividuntur in Electiva, Patronata, & Libera.

Resp. I. In qualibet diœcesi Episcopus est proprius collator Beneficiorum, nisi ex legitima præscriptione hoc jus alteri competat: supremus autem & universalis collator omnium Beneficiorum non patronatorum, est Papa, *Less. lib. 1. c. 35. d. 10.* Ratio prioris est, quia Episcopus in sua diœcesi est moderator sacrorum: ergo ipsius est officia sacra conferre. Ratio posterioris, quia Papa est supremus dispensator bonorum Ecclesiasticorum, & Ordinariorum. Potest autem Papa tribus modis Beneficia conferre. 1. Jure præventionis. 2. Jure concursus. 3. Jure devotionis, de quibus *v. Less. loc. c.* ubi notat, jure præventionis & concursus, ad vitandas lites, rarius Papam uti: imò per concordata Germaniz inter Sedem Apostolicam, & Fridericum Imperatorem, per constitutionem Nicolai V. quæ incipit: *Ad sacra &c.* alterni tantum menses Papæ collationi reservantur, scilicet Januarius, Martius, &c. reliqui verò ordinariis collatoribus relinquuntur. Imò si per tres menses, à die notæ vacationis, in loco Beneficii nulla dispositio vel gratia Papæ appareat Ordinarius conferre potest. Similiter mortuo Papa, quamdiu Sedes vacat *Less. loc. c. Laym. cap. 20.* Quod si autem Pontifex & Ordi.

& Ordinarius eodem die idem beneficium diversis contulerint, & neutrius collationis prioritas appareat, præferendus est, qui invenitur in possessione; quia pro eo jus præsumit. Si neuter est in possessione, præfertur provisorius à Pontifice, ob dignitatem provisoris *Barbos. & Bardi. d. 6. c. 6. §. 10. ex c. Si à sede.* Denique si ultima nocte mensis Episcopalis beneficium cæperit vacare, in dubio utrum ante, an post mediam noctem, qua incipit mensis Papalis, si nemo sit in possessione, nec ulla provisorio, præsumptio juris est pro ordinario, *Gonzal. Barbos. Bard. d. 6. §. 11.*

*Quæres. I.* Quid & quotuplex sit jus Patronatus?

*Resp. I.* Esse potestatem præsentandi ad Beneficium Ecclesiasticum vacans *Resp. II.* Esse duplex, scilicet jus patronatus Ecclesiastici, quod alicui competit, quia ex bonis Ecclesiasticis; & jus patronatus laici, quod alicui competit, quia ex bonis patrimonialibus Ecclesiam fundavit vel dotavit, vel erexit. *Lay. lib. 4. tr. 1. c. 13. n. 2. & 4.*

*Quæres II.* Quando patronus teneatur præsentare, Beneficio vacante? *Resp.* Si patronatus sit laicus, teneri intra 4. menses. Si Ecclesiasticus, intra 6. intra quos nisi fiat præsentatio, Beneficium fit liberum, ejusque dispositio pro ea vice devolvitur ad eum, cuius est instituere præsentatū.

*Quæres III.* Quid faciendū, si multi præsententur?

*Resp. I.* Si patronus, qui antea præsentavit Petrum, præsentet postea Paulum, velitque hunc præferri, poterit Prælati instituere utrum maluerit, si patronatus sit laicus: quia tunc præsentatio secunda non facit irritam primam nec contra.

Si ta-

Si tamen patronatus sit Ecclesiasticus, prior tempore erit potior jure, ex c. *cum authenticè, de iure patronatus. Resp. II.* Si ex duobus patronis alter Petrum, alter Ioannem præsentet, potest collator conferre utri maluerit. Imò iuxta *Sylv.* Episcopus tunc tertio conferre potest, eò quod patroni non conveniant. *Resp. III.* Si multi patroni inter se sint discordes, is instituendus, in quem plures conveniunt, v. *Leß. l. c. d. 8. & Laym. l. c.*

## ARTICULUS III.

*Qua intentio, & qualitates requiruntur ad Beneficium accipiendum?*

*Resp. I.* Ut Beneficium aliquod validè & licitè obtineatur, requiritur, ut sit persona capax & habilis, hoc est, ut sit Clericus, non illegitimus, (cum quo tamen Episcopus dispensare potest ad ordines minores, & Beneficium simplex, cui ordo maior non est annexus) non irregularis non excommunicatus non improbus, aut facinorosus, ut habeat scientiam competentem ad munus Beneficium annexum, & ætatem, & legitimam, nisi dispensetur, scil. pro Beneficio simplici annos 14. (sufficere tamen 14. inchoatum, docet *Dian. p. 3. t. 6. R. 64. ex Azor & alius 5.*) pro eo quod Subdiaconatū requirit, vigesimum primum, pro eo quod Diaconatum, 22. pro eo quod Sacerdotum

vige-

vigesimum quartum inchoatum. Colligitur ex  
*Trid. sess. 22. c. 23. &c.* In his tamen & similibus casibus, multi excusantur, vel quia illud jus ubique non est receptum; vel quia bona fide tres annos fuerunt in possessione, quæ veluti usucapionem & dominium parit. Ita *Less. d. 20.*

Resp. II. Qui recipit Beneficium quodcumque, habens annexum ordinem sacrum, tenetur habere voluntatem, saltem conditionatam, clericandi, & sacrum ordinem accipiendi, intra tempus à jure requisitum, *Laym. cap. 14. Less. l. 2. c. 34. d. 26.* Ratio quia suscipiens officium, cui obligatio est annexa, omni modo se habilitare tenetur. Imò si curatum seu parochiale est, habetque intentionem sacerdotium intra annum non suscipiendi, sed parochiam dimittendi, non tantum mortaliter peccat, sed etiam ipso jure est privatus, & ad fructuum restitutionem tenetur, ut patet ex *c. Commissa §. 7 de elect. in 6.* Quod si tamen mutata voluntate, ante finem anni Sacerdos fiat, fructus retinere potest: imò & Episcopus dispensare potest, ut vicario substituto, studiis per septennium vacet.

Dixi I. *Habens annexum ordinem sacrum*: quia si is non sit annexus, & Beneficium sit simplex, licet illud acceptet animo fructus lucrandi, & deinde uxorem ducendi, non nisi venialiter peccat; si aliàs officio suo satisfaciatur, ut docet *Laym. cap. 17. Sanch. 7. de matr. d. 45. v. usq.* Ratio, quia illa perversio ordinis non videtur gravis, nec ullo jure vetatur, ideoque ad nullam fructuum restitutionem tenetur. Unde *Garfias p. 3. c. 4. num. 42.*

S talem



talem ab omni culpa excusat.

Dixi II. *Voluntatem saltem conditionatam*: quia si ex justa causa postmodum status Clericalis minus illi convenire videatur, potest animum mutare, etiamsi Beneficium sit curatum: v.g. si primogenitus familiae, aut frater unicus sine liberis decedat, si opimum matrimonium ad conservationem familiae nobilis, vel ad lites graves sopiendas necessarium, offeratur. Ratio, quia non est mens Ecclesiae, ita ad Ecclesiasticum statum obligare, ut hæc & similia bona impediatur. *Laym. Less. l.c.*

#### ARTICVLVS IV.

*An liceat habere plura Beneficia?*

Resp. Plura Beneficia possidere, non est res simpliciter intrinsece mala, nec omnino indifferens, sed speciem mali præferens, imo ordinariè illicita, & naturali juri repugnans, (si talia sint, quorum unum ad honestam sustentationem sufficiat) nisi justa causa ex circumstantia cohonestetur. Ita fere *Laym. l. 4. t. 2. c. 8. num. 1. ex D. Th. Less. Azor. &c. commun.* Quia ut docet *Trid. sess. 24.* pluralitas hujusmodi magnam inordinationem involvit, dum minuitur cultus divinus, Ecclesia operariis, fundator pia intentione, pauperes utiliores Ecclesiae futuri sustentatione privantur. Hinc Beneficia distinguuntur in Incompatibilia primi generis, in quibus adepta pacifica possessione secundi, vacat prius, qualia sunt plura Be-

ra Beneficia curata, item plures dignitates, personatus, duo Beneficia uniformia sub eodem tecto: & in Incompatibilia secundi generis, quæ etsi sine peccato citra dispensationem obtineri nequeant, primum tamen altero obtento non vacat, qualia sunt Beneficia reliqua residentiam postulantia, v.g. Canonicatus duo diversarum Ecclesiarum, in quibus recepta est constitutio *Trid. s. 24. c. 12. de refor.* ut non liceat ultra tres menses Canonicis ab Ecclesia abesse. Unde *Laym. c. 8. n. 6.* docet, Canonicatus in Cathedralibus Ecclesiis Germaniæ, quæ ex immemorabili consuetudine requirunt tantum residentiam mediæ anni, vel 3. mensium, inter compatibilia Beneficia numeranda.

Dixi, nisi iusta causa cohonestetur: quia qui per dispensationem plura Beneficia obtinuit, nisi iusta causa subsit, in conscientia non erit tutus, sed tenebitur alterum resignare, ut docet *Less. n. 124.*

Porro iusta causa dispensandi erit, evidens necessitas & utilitas Ecclesiæ; & quandoque etiam prærogativæ, & merita personæ, v.g. insignis nobilitas, dignitas, scientia, autoritas, virtus, &c. modo caveatur, ne Beneficiorum coacervatio, facta etiam ob prærogativam personæ, ad privatum tantum, & non ad commune bonum referatur. Imo sine dispensatione plura Beneficia, sequentibus casibus haberi possunt.

I. Si utrumque adeo sit tenue, ut neutrum sufficiat ad sustentationem: modo utrumque sit simplex, nec residentiam requirat.

II. Quando parochia est annexa Canonicatui, eique accessoria: tunc enim utrumque per modum

dum unius possidetur, ita tamen ut teneatur Vicarium perpetuum in Ecclesia alere.

III. Quando Beneficia legimè sunt unita.

IV. Quando alius idoneus, & dignus non reperitur.

V. Quando unum Beneficium habetur in titulum, alterum in Commendam non perpetuum, sed ad aliquot menses, donec de idoneo provideatur. Ita *Regin. ex Sylv.*

*Quæres.* An & quomodo Clerici teneantur ad residentiam?

*Resp. I.* Episcopos, Parochos, eosque qui curatum Beneficium habent, jure divino teneri. Nec sufficit, si per alios administrèt, nisi majus bonum urgeat: quia contra rationem est, ut hic officium & fructus, alter onus habeat, *Bon. t. 1, d. 5. de oblig. ben. p. 1.*

*Resp. II.* Ita teneri ad residentiam, ut si Episcopi intra annum ultra tres, & parochi ultra duos menses, absque legitima causa, per Episcopum cognita, & approbata, absint, mortaliter peccent, & fructus non faciant suos. Ita *Trid. sess. 23. de reform. c. 1. v. Bon. l. c.* Notat autem *Dian. p. 9. t. 7. R. 53. ex Bordon.* supradicta etiam habere locum in Superioribus, sive Prælatibus regularibus, ideoque eos teneri tempore pestis etiam cum periculo suis assistere.

*Resp. III.* Qui in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis obtinent dignitates, Canonicatus, præbendas vel portiones, si intra annum ultra tres menses absint, primo anno media parte fructuum, secundo vtrò anno omnibus fructibus, quos illo

illo anno lucrati sunt, privandos. Quæ tamen poen<sup>a</sup>  
na est sententiæ *secundæ*, non latæ, ut constat e  
*Trid. sess. 24. c. 10.*

*Resp. IV.* Causas à residentia excusantes esse,  
1. Doctionem Theologiæ, vel Juris Canonici:  
neque ad hoc licentiam Prælati aut Episcopi re-  
quiri; requiri autē ad doctiones literarum huma-  
norum, & Philosophiæ, nisi contrarium habeat  
consuetudo. 2. Studium Theologiæ, vel Juris Ca-  
nonici, id enim per 5. annos etiam excusat. 3. Ob-  
sequium Papæ, vel Episcopi, ad Ecclesiæ utilita-  
tem. 4. Licentiam legitimam ex quavis alia  
justa causa. 5. Honestam consuetudinem, ubi  
dispositio Concilii non est recepta, *v. Bon. l. c.*

*Resp. V.* Qui absque justa causa abest: peccat  
mortaliter, non tamen tenetur ad restitutionem  
fructuum: si officio satisfecerit, nisi ad eam con-  
demnetur, vel nisi id aliquo jure sit expressum.

*Resp. VI.* Eos, qui ex legitima causa absunt,  
non lucrati distributiones, juxta *Trid.* nisi tamen  
absint ad curanda negotia Ecclesiæ, ex commis-  
sione Capituli, vel omnino involuntariè, ob mor-  
bum, captivitatem, injustam excommunicatio-  
nem, &c. *v. Less. lib. 2. c. 34. dub. 29.*

## ARTICULUS V.

### *Quibus modis Beneficia amittantur?*

*Resp. I.* Beneficia quatuor modis amittuntur.  
1. Per mortem beneficiati. 2. Ex dispositione  
juris, idque vel propter alterius Beneficii incom-  
possibilis

possibilis consecutionem, vel per professionem religiosam, vel per contractum matrimonii, vel per commissionem criminis, (v.g. hæresis, schismatis; sodomix sapius exercitæ) cui amissio Beneficii ipso facto est annexa, ut v. apud Lessl. 2. d. 34. 3. Per sententiam iudicis. 4. Per liberam resignationem: de qua.

Resp. II. Resignatio est spontanea proprii Beneficii dimissio, facta coram legitimo superiore id acceptante. Estque duplex, scilicet Tacita, quæ fit ex juris dispositione; ut dum quis religionem profitetur: & Expressa, quæ rursus est duplex, scilicet Pura, quæ fit sine conditione, & pacto appposito, coram Ordinario, qui Beneficium cui libere alteri conferre potest; & Conditionata, seu in favorem: eaque vel est Simplex in favorem, ut quando fit absque reservatione; vel est Qualificata, quando scilicet fit reservato sibi iure regie, vel pensionis, vel fructibus aliquibus, quæ ob simoniam juris humani, non nisi in Pontificis manibus fieri potest. Et quamvis verius sit, etiam resignationem simplicem in Pontificis manus faciendam, cum alioqui periculum sit, ut Beneficiorum resignationes speciem quandam hæreditariæ successionis acquirant, quod iura Canonica detestantur: probabile tamen est, in manus Ordinarii fieri posse, eo quod permutatio in ejus manibus fieri possit. Idque à fortiori verum est, si fiat sine modo obligatorio, quamvis addita deprecatione, ut personæ certæ consecratur. Idque observari potest, ubi non est recepta Bulla *Pii V.* quamlibet personæ successuræ de-

signa-

signationem prohibens, quam citat Laym. hic  
6. 17.

Porro ut resignatio conditionata valida sit, requiritur 1. Ut Beneficium sit resignantis, cum resignatio sit juris sui dimissio. 2. Ut fiat libere. 3. Ut fiat in manibus ejus, qui potest admittere, scilicet Pontificis, Ordinarii Collatoris vel institutoris, juxta dicta. 4. Ut acceptetur à Prelato, in cujus manibus sit: quia sine acceptatione jus suum resignans non perdidit. 5. Ut conferatur illi, in cujus favorem cum clausula consueta, (*non aliter nec alias*) est resignatum. 6. Ut is, cui conferatur, acceptet: alias enim resignans non perdit Beneficium, propter clausulam, *non aliter*. 7. Requiritur consensus Patroni, vel electorum, prout Beneficium est patronatum vel electivum. 8. Si resignans sit infirmus, ut à resignatione supervivat 20 dies: alias enim per obitum vacare censebitur. 9. Ut si resignatio fiat in Curia Romana, intra 6. menses à supplicatione oblata computandos, in loco Beneficii publicetur: sin autem extra curiam, intra mensem: alioqui si contingat resignantem mori, antequam resignatarius cepit possessionem, Beneficium per obitum vacare censebitur, *Less. & Laym. c. 17.*

Resp. III. Permutatio Beneficiorum, quæ est quedam species conditionalis resignationis, fit, cum duo beneficiati, unum vel plura sua Beneficia, Pontifici non reservata, in manus Ordinarii, alteriusve Episcopali autoritate præditi, resignant, cum conditione, ut is postea vicissim alteri alterius Beneficium conferat. Quod

quandoque Episcopus instituere potest, si necessitas ita exigat; vocatis tamen iis, quorum interest, scilicet patrono & Collatore inferiore: Ad hanc autem omnia requiruntur, quæ ad resignationem in favorem, vid. Less. c. 31. d. 35. & 6. Lay. 27. Bon. de simon d. 1. q. 4 §. 12.

*Quæres I.* An licitæ sint permutationes eorum Ordinariis, in mensibus reservatis per concordata Germaniæ. *Resp.* Affirmativè, quia per reservationem concordatorum non censetur Pontifex voluisse conditionem Ordinariorum Germaniæ deteriores facere, quàm Episcoporum extra Germaniam, coram quibus id simpliciter licet.

*Quæres II.* An licitum sit permutare Beneficia compensata fructuum æqualitate?

*Resp. I.* Non licere, si Beneficium copiosius, non separatis proventibus à titulo, permutetur cum tenui. Ratio, quia excessus ille eo ipso quod manet annexus titulo, est debitus titulo, ideoque pro eo nihil exigi potest, quin etiam exigatur pro titulo.

*Resp. II.* Posse peti compensationem, ob huiusmodi permutationem, à Pontifice, pro incommodo temporali, quod alter subit, spoliando se proventibus sui Beneficii; ideoque talis compensatio non est pretium Beneficii, aut proventuum annexorum, sed conditio, ut se indemnem servet, sine qua conditioe nollet se spoliare.

*Resp. III.* Intra proventuum posse separari à titulis, & primo nudos titulos, deinde alio contractu jura proventuum, utpote temporalia, permutari, compensato excessu opulentioris, idque

autho-

authoritate solius Papæ, v. *Less. l. c. Bon. l. c. §. 12. num. 11.*

*Quæres III.* An licitè permutetur Beneficium, hac lege, ut expensæ litis, vel bullarum, refundantur per recipientem? *Resp.* Videri permutationem simoniacam, si impensæ sint causa impulsiva permutationis, sine qua actus non fuerit futurus, idem de simili resignatione affirmare v. *Less. l. c. Bon. l. c. n. 9.*

## ARTICULUS VI.

### *Quid & quotuplex sit pensio?*

*Resp.* Pensio est jus percipiendi fructus ex alieno Beneficio. Estque triplex. 1. Temporalis, quæ datur propter ministerium temporale, v. g. Cantori, & dituo, patrono, & defensori Ecclesiæ. 2. Spiritualis, quæ fundatur in titulo merè spirituali, ut quæ datur Concionatori, Coadjutori Episcopi, Parocho, &c. 3. Media, quæ fundatur in statu spirituali, non tamen officio spirituali, ut quæ datur Clerico pauperi, vel Parocho seni ad sustentationem, vel quæ datur causa resignationis, & litis componendæ. Duæ posteriores dicuntur Clericales, quia Clericis; prima Laicalis, quia laicis tantum datur.

Porro circa pensiones *Laym. c. 18. & Less. 34.* docet hæc. 1. Etsi eam designare proprium sit Papæ: id tamen etiam Episcopum posse in causis specialibus, & necessariis, v. g. propter pauper-

S. 3. sacra-



tatem & senium resignantis, vel litis compositionem, vel propter adæquandos fructus in permutatione Beneficiorum. 4. Debere esse moderatam, ita ut beneficiato relinquatur sufficiens sustentatio: talis autem perumque censetur tertia pars fructuum. 3. Ad pensionem non requiritur consensus patroni, ut quidam volunt, quia id nullo jure statutum est. Neque ullum sit præjudicium per impositionem pensionis, cum is fructus non percipiat ex Beneficio, sed tantum habeat jus instituendi, & præsentandi, quod ei non admittitur. 4. Pensionarius post constitutionem *Pii V.* ubi ea est recepta, tenetur recitare Officium *B. V.* nec facit fructus suos, si omittat. 5. Pensionem extingui morte Pensionarii, sicut ususfructus morte usufructuarii. Possit tamen Papa facere perpetuam, ex plenitudine potestatis. De venditione & redemptione pensionis, *vid. Laym. c. 18. & Less. l. 2. c. 35. d. 22. Bon. l. c. §. 13.*

## DUBIUM II.

*De Horis Canonicis.*

## ARTICULUS I.

*Qui obligentur ad Horas?*

Resp. I. Clerici majorum ordinum, etiam suspensi, excommunicati, degradati, tenentur, tum jure Ecclesiastico, tum generali consuetudine Ecclesiæ.

Dixi.

Dixi, *majorum ordinum*; quia minorum, non tantum non ad Horas, sed neque ad psalmum Miserere tenentur, quem, vel simile quid, cum Episcopus primam tonsuram conferens injungit, non videtur obligare, nisi ut vel tantum fiat aliquoties: vel per modum consilii, *Less. l. 2. c. 37. d. 9.* Unde resolvuntur hi Casus.

I. Tenetur ad Horas, qui cum dispensatione Papæ ducit uxorem, nisi in hoc ipso sit dispensatum: quia dispensatio. utpote odiosa, stricte est explicanda, & characterem retinet. *Bon. & Azor. l. c. c. 5.* contra alios.

II. Clericus incipit obligari à puncto subdiaconatus suscepti: & quidem ad Horas respondententes horæ, quæ ordinatur, *Bon. tr. de Horis, q. 1. punct. 5. ex communi.*

Resp. II. Omnes religiosi professi, ad chorum destinati, utriusque sexus obligantur ad Horas, idque ex antiqua & recepta consuetudine, quam tamen quidam, ut *Aragonius*, putant non obligare tam stricte, ut peccent mortaliter, si bis terve omittant, & de Monialibus dubitat *Cajet. Medin. Armill. Dian. tr. 12 R. 17.* imo eas (atque adeo omnes Religiosos sacris non initiatos) non tenent sub onere peccati, absolute, sed nimis laxè, docet *Petrus Marcha* apud *Dian. p. 1. t. 6. R. 7.* contra aliorum communem, & veram sententiam, quæ docet, teneri secundum suas regulas, & consuetudines, *Bon q. 1. p. 2. nu. 5. ex Azor. Less. Maldero, &c.* Unde resolves.

I. Non tenentur ad Horas. 1. Novitii. 2. Con-  
versus, Religiosi Societatis Jesu, militares, hospita-  
larii,

larii, & cæteri Choro non destinati. *Trull. l. i. c. 7. d. 12. §. 1. n. 5.*

II. Is, qui ex una religione transit in aliam, in qua non est hæc consuetudo, non tenetur: quia consuetudo non obligat, ubi non est recepta. Ita *Suar. & Lay.* Idem dic de religioso ejecto, vel qui dispensationem obtinuit perpetuo vivendi extra monasterium: quia etsi maneat religiosus, non tamen regularis. Ita probabiliter *Sotus, Sanch. Bon. d. 1. q. 2. p. 2. n. 4. &c.* contra *Suar.*

Resp. III. Beneficiati, quotquot habent jus in re, & plenum dominium Beneficii, si fructus percipiant, vel percepturi sint, tenentur ad Horas. *Less. & Laym. l. 4. t. 2. c. 4.* ex communi & *Concil. Lateranensi* sub Leone X. Ratio, quia Beneficium datur propter officium. *Vnde resolves.*

I. Non tenentur ante acceptam possessionem, nec, si sine sua culpa fructus nullos percipiant, nec percepturi sint, *Lay. l. 4. t. 2. c. 5. n. 3.* quia non habent Beneficium secundum omnem effectum. Videntur tamen pro ratione fructuum teneri ad aliquoties legendum. *Trull. l. c.*

II. Tenetur is, qui etsi (sive sine, sive cum sua culpa) non recipiat omnes suos fructus, recipit tamen tantam partem; quæ sufficit ad sustentationem. *Bonac. d. 1. q. 6. p. 3.*

III. Tenentur ii, qui primo, aut etiam secundo anno, non percipiunt fructus, eò quod assignentur fabricæ, vel prædecessori mortuo: quia etiam ipsi mortui fruuntur eodem privilegio, & sic pro tota vita satisfaciunt fabricæ, *Bon. p. 4. n. 22. Lay. §. 5. Suar. Regim. &c.* Contraria tamen sententia non

non est improbabilis; & negat *Less.* cum *Caiet.* se talem damnaturum, eò quod vel resignare, vel mori ante possit, & sic non frui anno gratiæ, *Lay. l.c. Palau;* *Trul. d. 11. §. 1.*

IV. Tenentur & ii, qui habent Beneficium tenue, octo v. g. vel decem aureorum, quia jura omnibus indistinctè obligationem Horarum imponunt, sicut iis, qui sunt in majoribus ordinibus. Ita probabiliter *Sylv. Azor. Suar. Palau. Bon. d. 1. q. 2. p. 4. num. 7. & comm. contra Sotum Less. Rodrig. & Dian. R. 9. Mald.* qui dicunt, si habet Beneficium tam tenue, ut tertiam partem mediocris sustentationi alicujus Clerici non adæquent non teneri, v. *Dian. l.c. Escob. tr. 5. E. 6. cap. 13.* quorum sententiam non damno, v. *Trul. l. 1. c. 7. d. 12. §. 5.* ubi notat eum, qui habet plura Beneficia tenuia, ex quibus competentiam habeat, teneri ad Horas.

V. Non excusatur, qui primis annis parum recipit, eò quod fructus expendat in substitutum; quia Horarum onus Beneficio annexum est personale, cum quo sponte acceptatur. *Bon. l. c. ex Azor. Vasq. Fill. & c.*

VI. Si filius à patre coactus ad statum Ecclesiasticum percipiat ipse fructus, tenetur ad Horas: secus, si percipiat pater, hic verò ad restitutionem obligatur, *Laym. c. 5. num. 2. ex Less. l. 2. c. 34. dub. 3.*


VII. Probabile est, eum, qui non residet ex legitima licentia, vel dispensatione, ideoque fructus non recipit, non teneri ad horas: quia obligatio hæc est propter sustentationem da-

nam,

tam, *Trul. l. i. cap. 7. d. 11. §. 3. ex Sansb. &c.*

VIII. Non tenentur, qui habent præstimonias, (quæ solent dari adolescentibus, in subsidium studiorum) eo quod non sint proprie dicta Beneficia. Ita *Medin. Garfias & Less. contra Navar. Setum. & Rodriq.* Recte tamen monet *Laym. c. 5. num. 6.* considerandam rationem præstimoniorum. Quod si enim dentur in titulum perpetuum, & habeant annexum aliquod obsequium spirituale, quod per laicum expediri nequit, esse Beneficia Ecclesiastica, proindeque obligare ad Horas: secus, si consistant in solo temporali obsequio: Similiter non tenentur pensionarii, cum pensiones non sint proprie dicta Beneficia, ut *dubio præced.* videri potest. Quod limitat *Escob. c. 5. E. 6. c. 4. ex Palao,* si fruuntur pensione ob sæcularia obsequia, secus, si titulo Clericali. Denique, neque tenetur Coadiutor, si non administrat, quia obligatio tenet proprietarium, *Palao Escob. l. c. v. Laym. c. 5. n. 9.*

IX. Etsi habens plura beneficia satisfaciat unica recitatione horarum, tenetur tamen tot facere commemorationes, quot sunt beneficia, seu parvoni beneficiorum, quia par est omnium ratio, *Bon. Trul. l. c. n. 27.*



ARTICULUS II.

Quanta sit hac obligatio?

Resp. I. Est tanta, ut peccet mortaliter, quis-  
quis habens hoc onus, Horas, vel notabilem ear-  
um partem omittit. Ita communiter omnes con-  
tra *Anglum, V. Hora & Richardum*, qui dicunt  
non esse mortale, nisi quis habeat consuetudi-  
nem omittendi: quam sententiam *Less* non audet  
dicere probabilem, quod sit contra torrentem  
Doctorem. Ratio, quia violat præceptum in re  
gravi pertinente ad virtutem religionis. Ex dictis  
*resolvuntur hi Casus.*

I. Non est mortale omittere unum psalmum,  
lectionem, vel quid simile, ut habet communis  
contra *Navar.* nec tertiam partem parvæ horæ,  
contra *Azor. & Mald.* quia non censetur pars  
notabilis. Talem autem dicit *Palau. l. 1. p. 5.* esse  
in Matutino, quod est æquale uni parvæ Horæ,  
*Sanc. in sum. tom. 1. l. 1. c. 18. nu. 8.* dicit tres lectio-  
nes cum responsoriis, in feriali officio, esse ma-  
teriam parvam. In parvis Horis, dicit *Fern. Fill.*  
& *Laym.* dimidium, esse notabilem quantitatem,  
*v. Esob. l. c. cap. 13. num. 107.* ubi docet, unam  
parvam Horam; non esse partem notabilem, re-  
spectu totius officii, quod per modum unius est  
præceptum. Verum hoc merito rejicitur ab  
aliis.

II. Est mortale, si omittas vel unam integram  
ex Horis, (quarum sunt septem, Matutinum  
cum

cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ & Completoriū) vel dimidiam etiam ex brevioribus, ut (docet *Fernand. Regin. Fill. Suar. Laym. contra Bonac. & Less.*) vel ex Matutino 9. lectiones cum responsoriis, ut *Sanch. i. mor. cap. 18.* aut æquivalentem partem Horæ uni minimæ, ut *Suar. de rel. t. 2. l. 4. c. 25.* & *Gavantus* vel ut alii, unum Nocturnum. *vid. Bon. d. 1. q. 5. pag. 1. Dian. p. 2. t. 12. R. 26. & 41.*

III. Sive omissio Horarum ( abstrahendo à multiplicatione actuum voluntatis) sit unum numero peccatum, ut vult *Bon.* sive sint plura formaliter, ut docet *Less.* sive unum multiplex, ut *Suar.* sive unum pluribus æquivalens, ut *Fill.* loquitur, probabile tamen est, in confessione explicandum, quot horæ sint omissæ: eo quod sit circumstantia tenens se ex parte obiecti, & constituens actum in ratione sua individuali, *Bon. l. c. n. 9. Less. Suar. Fill.*

Resp. II. Tanta est obligatio, ut inducat ei onus restitutionis fructuum, pro rata omissionis officii, qui titulo Beneficii ad Horas tenetur, si elapsis 6. mensibus post adeptam possessionem, ( iis enim etsi graviter peccet omitendo, non tamen tenetur ad restitutionem ) culpabiliter officium non recitaverit. Pater ex *Concil. Lateranensi sub Leone X.* Sed quia dubium fuit, utrum hoc Concilium esset receptum, *Pius V.* Bullam edidit, quæ est apud *Nuv. c. 25.* quæ hoc decretum confirmat, ac declarat sic, ut qui uno die totum officium omiserit, teneatur restituere omnes fructus illi diei respondentes, v. g. qui accipit annuè 365. flo-

renos, teneatur pro uno die restituere unum florenum; qui autem omiserit Matutinum tantum, mediam partem fructuum unius diei; qui reliquas Horas, etiam mediam partem; qui vero unam ex illis, sextam partem. Eaque restitutio facienda est, vel fabricæ, vel pauperibus, *Laym. Fill. Bon. d. 1. q. 5. p. 2. Ec. contra de la Cruz & Lopez apud Dianam. p. 2. tr. 12. R. 34.* qui dicunt, si Beneficiatus intra annum, per 8. vel 10. dies tantum omitat, non teneri ad restitutionem, eo quod sit servus liberalissimi domini, qui multo minus quam domini temporales, ad pauca attendat. Unde resolves.

I. Clerici maiorum ordinum, qui solo titulo ordinis, & quotquot alio titulo, quam Beneficii, ad Horas tenentur, non obligantur ad dictam restitutionem: quia nullos percipiunt fructus, propter onus recitandi officium, *Bon. l. c. p. 2. n. 3.*

II. Nec ii obligantur, qui ex naturali oblivione, justo impedimento, bona fide, invincibili ignorantia, aut aliter absque culpa omiserunt. Ratio, quia in conscientia non debetur poena, ubi non est culpa. *Less. Suar. Bon. num. 4.*

III. Valde probabile est, quod qui alia onera habent, quam precum, v. g. Pastores, Episcopi, &c. omitentes Horas, possint retinere maiorem partem fructuum istius diei, ratione dictorum onerum; sufficiatque dare tertiam partem, vel quartam fructuum; eo quod tantum obligentur ad restitutionem fructuum, respondentium oneri divini officii, *Navar. Fill. Bon. p. 2. t. 12. R. 8.* citans alios multos.

IV. Si



IV. Si talis Pastor habeat tenues redditus ad sustentationem, videtur ad nihil obligandus; cum ob alia onera illi debeat sustentatio, *Laym. l. 4. tr. 2. cap. 5.* Imo *Dian. p. 2. tr. 12. R. 9.* & *Mald. tr. 10. c. 2. dub. 3.* dicunt, eum, qui habet beneficium valde tenue, v. g. cujus redditus tertiam partem medioeris sustentationis non adæquent, non teneri, ob Horas aliquoties neglectas, ad restitutionem.

V. Restitutio hæc fieri potest, vel pauperibus amicis, vel aliis, vel ipsi etiam beneficiato, si pauper est. Item impendi potest in fabricam domus, vel meliorandos agros beneficii; quia hæc nomine fabricæ intelliguntur, apud *Suar. & Bonac.* Denique aliquando compensari potest, offerendo suffragia pro defunctis, aliisque precibus, ut *v. Bon. l. c. p. 4.* & sic etiam per alium, seu per officium aut preces ab alio ad tuam intentionem recitatas, & à te defunctis applicatas, satisfacere posse, docet *Quintan. t. 8. f. 6.* Nec continuo damnandus, qui ordinarie recitare solitus, semel v. g. vel bis in anno omisit, etsi nihil restituat, docet *Sotus, Med. Fill. c. 10. n. 315. 317.*

VI. Qui pecuniam, quam ob neglectas horas tenetur restituere, sive erogare in usus pios, impendit in alios, quam vel in pauperes, vel fabricam beneficii, non satisfacit (secundum jus commune, ubi Concilium Lateranense, vel Bulla Pii V. est recepta) obligationi suæ, nisi aliud ferat consuetudo, vel statutum alicubi receptum: quia diserte præcipitur restitui pauperibus, vel fabricæ beneficii, *v. Bon. q. 2. p. 2. & 4.*

VII. Posse aliquando beneficiatum excusari à restitutione, (ob Horas neglectas) titulo pecuniæ expensæ, (intellige post omissionem Horarum) etsi non isto intuitu, in pauperes, vel alios usus pios, censet *Dian. p. 3. R. 57. ex Laym. l. 3. §. 5. t. 2. cap. 12. num. 9.* esse probabile: tum quod quidam Auctores ita sentiant: tum quod videatur esse virtualis intentio omnium dantium cleemosynas satisfacere per illas omnibus obligationibus, quas suis peccatis contraxerunt: tum quod leges Ecclesiasticæ benignè debeant explicari. Addit *Ioannes de Salas de leg. d. 15. sess. 2. n. 27. v. usq.* Si Canonicus grossam, seu corpus sui Canonicatus, vere & absolute lucretur prius, quam omittat officium, non teneri ad restitutionem, propter omissionem sequentem, eo quod poena non sit, ut fructus <sup>suos</sup> ~~non~~ <sup>suos</sup> ~~faciat~~ <sup>suos</sup> ~~suos~~. Sic ille apud *Dian. p. 2. t. 12. R. 8. v.* infra art. 4. §. 6. in fine.

VIII. Ubi Bulla Pii V. non est recepta, potest videri probabile, beneficiatum ad dictam restitutionem non obligari, ut habet *Sylv. V. Clericum.*

### ARTICULUS III.

#### *Quæ excusent à recitatione Horarum?*

Resp. Hæc sequentia. i. Infirmi: as gravis, v. g. dolor notabilis capitis, ita ut sine incommodo, vel incremento morbi, legi non possint. Dixi, *gravi*: quia levis, v. g. dolor stomachi, aut pectoris, vel etiam aliquando febris tertiana, aut quartana non excusat, cum toto die non affligat. Ita *Nav. Fill. Laym. Bon. d. 1. q. 6. p. 1.* Porro taliter excusatus

NOB

non tenetur, ut quidam volunt, audire alium loquentem, nec alium substituere, ut habet *Fiil. Sa. V. Hora*: si tamen commodè potest, & sole legere cum socio, tenetur, ut habet, *Less. Bonac. Dian. p. 2, t. 12. R. 41.*

2. Justum impedimentum, v. g. metus productionis, inter hæreticos. Item gravis, vel repentina occupatio, vel opera charitatis majoris momenti, quam Horæ, quæ sine scandalo, vel grati incommodo tuo, vel alterius omitti non possint. Quo modo et si Concionatores, vel confessorii aliquando excusari possint, idque ex benigna Ecclesiæ intentione, ut docet *Sylv. Suar. & Laym. &c.* tenentur tamen anticipare, si possint, v. g. si manè prævideas, te tota die confessionibus occupandum, quæ differri non possint. Ita ex *Suar. & Azor. Bon. l. c. p. 2. & 2. &c. communiter.*

Ex hoc capite dicunt etiam aliqui, non tenentur repetere, quod neglexisti, (nec recitando, nec audiendo) dum thurificando ad Magnificat, vel Benedictus, vel libros necessarios circumferendo, vel lectionem mox cantandam prævidendo, vel alia in choro necessaria peragendo, occupatus fuisti. Quia Chorus totus pro eo, qui in re, ad officii celebritatem pertinente, occupatur, videtur supplere, & non tantum suo, sed etiam aliorum ministrantium nomine, recitare aut canere. Ita *Laym. l. 4. tr. 1. cap. 5. n. 7. Henr. Sylv. Azor. Sot. Morfesius. Naldus. Arag. Regin. citati à Dian. p. 2. t. 12. R. 13.* Idem de eo, qui choro organo multo, alternis versibus responder, dicunt *Nay. Sane. Arag. & Rodrig. apud Laym. l. c.* scilicet cum

non esse obligatum, ut etiam voce proferat: sed negat *Escob. l. 5. E. 6. v. Trul. d. 16.*

3. Cœcitas. *Bon. p. 2. n. 4. & c. communiter.*

4. Carentia Breviarii inculcata. Quod si ramentem memoriter possis dicere, vel totum officium, vel unam Horam, teneris. Si verò tantum scias psalmos, vel lectiones vel capitula, dicit *Fill. tom. 2. tr. 21. cap. 9. n. 287.* citans *Nay. & Suar.* item *Escobar. E. 6. num. 149.* probabile esse, non teneri, quia psalmi ut sic, non sunt Hora Canonica, ad quam tenetur Clericus. Idem dicit *Garf. de benef. t. 1. p. 2. cap. 1. n. 221. Mald. in 2. 2. t. 10. c. 2. d. 5. & Ioannes Sancius in select. d. 15. n. 1. citati à Diaua.* eo quod lectiones, & Capitula sint pars (licet minor) maximè principalis, ita ut absque illis, non sit officium Canonicum. Idem concedit *Sanch. l. 1. c. 19.* in Matutino festi duplicis, vel semiduplicis, v. *Bon. p. 2. n. 6, Dian. p. 2. t. 12. R. 30.* & 47. Verum hæc probare non ausim, sed potius *As* quod docet *Bon. d. 1. q. 6. p. 2.* impeditum ex aliqua dictarum causarum, si possit dicere partem notabilem, ad id teneri, alias ad nihil. Denique si quis careret breviario, quo uti solet, v. g. Romano, teneretur legere aliud, quod habere potest: quia per utrumvis impletur substantia præcepti. *Crenf. Escob. Dia. p. 9. R. 25.*

5. Dispensatio: quam sine causa, solus Papa dat validè; cum causa, Episcopi. Et sic subdiaconum, qui ex dispensatione Pontificia ducit uxorem, hoc ipso liberari ab onere horarum, contra *Bon. & Azorium*, docet *Sanch. de mat. l. 8. d. 8. Dian. p. 8. t. 3. R. 34.*

*Et merito, v. 54. Jan. XI.*

ARTI-

## ARTICULUS IV.

*Quomodo recitanda sint Hora?*

Resp. In recitatione Horarum sequentes circumstantiæ sunt servandæ: 1. Ut recitentur juxta præscriptum Breviarii Romani jussu Pii V. editi saltem publicè. Excipe Religiosos, qui habent peculiare Breviarium ordinis; & Ecclesias quæ 200. annis ante institutionem Breviarii per Pium V. peculiare habuerunt: eæ enim sine consensu Episcopi illud mutare non possunt. Privatim tamen omnibus, etiam regularibus, probabile est licere, ex consuetudine, ut Romano, ut docet *Less. cap. 37. d. 12. Rodrig. & Sa, V. Hora, Bon. d. 1. q. 3. p. 1.* Adde, quod qui eo utitur, ne quidem in choro obligetur ad psalmos pœnitentiales, graduales, officium defunctorum, (excepto die animarum) officium tamen B.V. in choro recitari debet, ubi est consuetudo. Ita *Fill. & Bon.* ex Bulla Pii V. & Clementis VIII. Item tenetur ad Litanias diebus Rogationum; tum qui sunt pars officii eodæ; tum quia peculiaris de ea re est constitutio. Ita *Bon. l. c. ex Fill.* Etsi contrarium probabile esse dicat *Dian. p. 2. tr. 12. R. 42. ex Vasq.* item *Esc. t. 5. E. 6.* Quod si autem ex inadvertentia, vel necessitate, v.g. quia lectiones de festo nullas habes, officium mutes, ira ut dicas de feria, quando erat dicendum de Sancto, vel contra, nullum erit peccatum, nec obligatio repetendi, licet consulerentur strepetere ea, quæ ad proprium officium pertinent:

ment: si verò studio idem mutes, aliud sentien-  
dum videtur, cum ratio non sit eadem: Quan-  
quam quod eo casu venialiter tantum pecces, nec  
tenearis repetere, vel restituere quidquam, eo  
quod substantia præcepti sit impleta, probabile es-  
se censeat *Escob. t. 5. E. 6. c. 5. Dian. p. 3. t. 12. R. 3.* Item  
*Cajet. Sylv. Binsf. Azor. Val. Less. Fill. &c.* citati à  
*Bon. d. 1. q. 1. p. 1. n. 17. & Dian. l. c.* contra alios mul-  
tos quos citat & sequitur *Barbosa. Laym.* verò l. 4.  
t. 1. cap. s. num. 4. cum *Suar.* limitat, nisi per frau-  
dem quasi, multo longius in multo brevius, v. g.  
paschale mutetur: aut idem pro libitu toto anno  
dicantur; quia est gravis inordinatio. v. *Trul.*  
d. 14. l. 11. ubi docet, eum, qui per errorem, legit  
hodie de Sancto, qui cras v. g. colitur, posse cras  
legere de Sancto, qui hodie celebratur, ne is hoc  
anno omittatur; imò hodie celebratur; imò ita  
faciendum esse vult *Quintan. t. 8. sing. 10.* Verum  
contrarium rectius tenet *Villolab.* eo quod præ-  
stet semel quam bis errare: idque multis bene  
confirmat. *C. Lugo Resp. mor. l. 5. d. 8.* Similiter  
eum, qui per errorem, vel oblivionem de festo  
duplici, vel semiduplici non recitavit de proprio,  
posse de eo legere primo die non impedito 9. le-  
ctionum officio, docet idem *Quintan. t. 8. n. 9.* esse  
probabile. Verum & hoc merito rejicit *C. Lugo*  
*l. c.* & ipse *Quinta.* contrariam sententiam agnoscit  
probabiliorem. Denique qui in aliquibus horis  
erravit, (legendo v. g. de feria, quando erat de  
festo, vel contra) agnoscens errorem, non de-  
bet eum continuare, sed reliquas horas legere  
juxta officium eo die currens, ut in iis saltem con-  
formet

formet se toti Ecclesiæ, vel communitati, cuius est pars, & observet legem, quantum potest, *C. Lugo l. c.*

2. Pronunciatio vocalis exterior; ea enim est de substantia præcepti: Etsi quidem cum socio legis (quod rectè fit, & est conforme primæ institutioni Ecclesiæ, ac publico orandi ritui, estque licitum etiam si is ad eas non obligetur, nec ulterius attendat, *Bon. q. 3. p. 2. §. 1.* ea pronunciatio adhibenda est, ut ab eo exaudiri possis, eumque audire vicissim, *Sa.* tamen *V. Horæ*, putat satis fieri, etsi quædam non percipias, quæ à socio dicuntur; neque idèdè aliquid scrupulosè repetendum esse: si vero solus legas, ita legendas esse, ut audire te ipsum possis, docet *Regin. & Suar.* sed probabile est, id non requiri, cum Ecclesia id non præcipiat: ut docet *Azor. p. 1. l. 10. c. 11. q. 4. Bon. & Dian. resol. 11.* admittitque *Fill. tr. 23. c. 3. num. 117.* pro scrupulosis. Si plures duobus recitent officium simul non debet unus unum, alter alterum, tertius tertium versum recitare, sed alternatim facto duplici tantum choro, sive plures sint ex una parte. sive pauciores quia sic habet usus, & praxis Ecclesiæ: secus est de lectionibus, quarum primus primam, secundus secundam, tertius tertiam recitat, (imo alicubi consuetudo permittit, ut omnes ab uno recitentur) aliis audientibus, *Bon. d. 1. q. 5. p. 2. §. 1. ex Suar. Azor. & Laym.* addens etiam satisfacere eum, qui lectiones, vel orationes, vel capitula, vel responsoria tantum audit, & non recitat, *v. Bon. l. c. Trull. n. d. 16. num. 17.*

3. Pronunciatio integra, sine syncopa, & abbreviatio verborum & syllabarum, & absque præcipitania. *Bonac. d. 1. q. 3. p. 2. §. 1.* Ex hoc tamen defectu in publico facilius peccari potest mortaliter, ratione scandali, & severioris præcepti Ecclesiæ, quam in privato. *Azor. & Fill. t. 2. l. 2. cap. 2. Escob. Dian. p. 2. t. 12. R. 32* ubi addit. 1. Eum, qui cum tali, qui ultimas syllabas abscindit, recitat officium, satisfacere suo officio nec teneri repetere 2. Quando in cantu, propter nimiam celeritatem & abscissionem syllabarum (vel alia de causa) audientes non possunt verba percipere, & attendere, ordinarie tantum esse peccatum veniale, neq; obligari ad iteratam recitationem officii; nisi adsit contemptus, vel grave scandalum, seu notabilis corruptio, & deformatio verborum, in toto cantu, *v. Dian. l. c. Sylvium, & Trul. d. 15.* ubi ex *Nav. Azor. Less. & Palao* negat satisfacere eos, qui cum sociis recitant ita festinanter, ut nondum expletis à socio versiculis, ipsi incipient; quia pars, quæ anticipatur, non communicatur cum socio, qui eam audire nequit. Excusat autem ex *Nav. Sa. & Suar.* surdum, qui alios in choro canentes <sup>non</sup> intelligit, nec sequi potest.

4. Pronunciatio continuata unius Horæ: si autem interruptio notabili tempore, sine causa, fiat, eam tamen veniale tantum, ut ait *Fern. Laym. & Less. d. 10.* quia singuli psalmi suam completam significationem habent: si justa ex causa fiat, nulla culpa erit, nec repetenda priora. Quod verum est, etiamsi animo repetendi interrupisses: consilii tamen est, si interruptio longa esset, repetere

T

peters



petere ab initio psalmi vel nocturni: imo probabile est, nocturnos singulos separatim saltem intra trium horarum spatium dici posse, (quod certum videtur, si iusta causa concurrat) quia secundum quosdam antiquitus ita fiebat, ut docet *Phil. tr. 23. c. 6. & Bon. q. 5 p. 3. Escob. & c. Addit. Quarta nad. t. 8. f. 3.* lectiones, siue tres sint, siue novem posse absque culpa gravi, sine causa, & cum hoc absque ulla culpa dividi à psalmodia ejusdem matutini. Divisio autem matutini à laudibus, non dicit interruptionem officii; unde privatim fieri potest sine causa *Dian. p. 5. t. 14. R. 48. ex Bon. F. Sanch. & c. Item Trul. l. 1. c. 7. d. 11.*

5. Ne invertatur ordo Horarum absque iusta causa: quod si tamen fiat, erit tantum veniale, quia ordo iste, saltem extra chorum, non est sub præcepto, nisi secundo, & tanquam circumstantia minoris momenti. Quod si autem per inadvertentiam, vel ex iusta causa mutes, v. g. amico, vel ægro, qui tecum legere cupit, satisfacias, nullum erit peccatum: vel si in Choro dicantur posteriores Horæ, cum tu necdum dixeris priores, vel si inter orandum advertas te aliquid omisisse, vel priorem Horam nondum dixisse: perge eam, & supplebis in fine. Similiterque, si cantus vel necessitas instet Horas dicendi, potes dicere Laudes, dilatis lectionibus, vel aliquo simili, quo ad manus non est, v. *Bon. q. 3. p. 4.*

6. Ut, nisi iusta causa excuset, dicantur tempore præfixo à iure, vel consuetudine: quæ nunc obstat, ut Matutinum, & Laudes, absoluto Completorio in Ecclesia, hora circiter quarta, & secundum

cundum *Bon.* etiam tertia dicantur: & hieme quidem media hora ante solis occasum dici posse, ait *F. II.* ex communi sententia; cum etiam privilegium quibusdam concedatur, ut hora ante occasum dicant. Quod tamen non est signum, id sine privilegio fieri non posse: quia talia sæpe dantur ad tollendos scrupulos, & dubia, quæ sequuntur ex varietate opinionum. Juxta eandem sententiam non peccabit, ait *Bon.* qui primam, tertiam, sextam, & nonam, duabus vel tribus horis post ortum solis dicit: tum quia est moderata & consueta propositio; tum quia tempus à jure præscriptum magnam latitudinem; teste consuetudine, habet: erit tamen veniale, Matutinum, sine causa, ad vesperum differre, vel ante prandium, sine causa Vesperas & Completorium dicere; quia hæc est insueta inversio. In Quadragesima autem Vesperæ legi possunt privarim post prandium, cum rubrica breviarii feria IV. Cinerum non imponat præceptum, *NAV. Sanch. Trul. d. 18. n. 6.*

Dixi, *sine causa*: quia si iter aliave causa urgeat, secundum *Cajet.* & alios, omnes Horæ mane dici possunt, usque ad Vesperas inclusive. Denique ad evitandum mortale, sufficit dici omnes à media nocte, usque ad alteram mediam noctem: præterquam quod Matutinum pridie possit anticipari. Quod si intra dictum tempus quis Horas non dixerit peccavit quidem, non tamen tenetur postmodum dicere; quia sunt onus affixum.

diei, etsi supplendo possit, secundum quosdam  
 restitutionem subterfugere, eo quod rependa  
 æquale. *Molfes. 3. tom. 2. item Major. Palud. Lectu  
 ma, & c. apud Henrig. l. 33. c. 13. Bon. d. I. q. 5. p. 2  
 n. 3. ubi dicit, eam sententiam esse probabiliter  
 citatque pro ea Suar. & Fill. sed male, quia hi  
 loquuntur tantum de primo medio anno; vel se  
 stato solo jure <sup>natura</sup> positiv<sup>o</sup>. Expresse autem eam  
 quitur. *Quintan. t. 8. f. 8. vocatque veriozem con  
 traria. Vide etiam Dian. p. 2. t. 12. R. 24.**

7. Ut devote, & cum attentione interna  
 tualis saltem, recitentur, sive ea ad Deum sit, sive  
 ad sensum verborum, sive, ut ait *Cajet.* ad verbum  
 solum. Quam postremam sufficere, recte non  
*Less.* supposito tamē animo orandi, & vacādi Deo  
 Unde attentionem confusam saltem ad Deum,  
 ad verba includit, cum alioqui attentio præcipue  
 ad sola verba, nihil ab externa attentione differens  
 videatur. Ita commun. contra *Nav. Sylv. & Casp.*  
 qui nullam attentionem internam requirunt, sed  
 tantum externam, quæ excludat omnem actiōnem  
 nem impossibilem cum attentione interna.  
 licet animo voluntariè inter ea distraharis. Quæ  
 sententia, secundum *Laym. & Less.* non est  
 probabilis, & utilis, tum scrupulosis, tum con  
 fessariis, ne beneficiatis sine attentione Horat.  
 recitantibus, impetrent restitutionem fructuum  
 partim ob Doctorum Authoritatem, partim  
 quod hoc præcepto tantum materiales quorū  
 dam preces, earumque externa pronuntiatio  
 (per quam, sicut per hymnos organo cantatos,  
 Deo aliquid Ecclesia potest impetrare) præcipue  
 videat

videat  
 extrin  
 Veru  
 babil  
 na,  
 tali ac  
 aliqua  
 Nec re  
 intern  
 ut sum  
 stando  
 possit  
 trition  
 li salte  
 men v  
 cunt m  
 expre  
 riam,  
 comp  
 haris,  
 intenc  
 animo  
 neri, z  
 propo  
 Bon. d.  
 I.  
 aliqu  
 beat,  
 dere,  
 sumen  
 cæter  
 meliu

videantur; devotio vero tanquam finis præcepti extrinsecus ad ejus substantiam non pertineat. Verum nostra sententia est communior; & probabilior. Et probatur: sine oratione enim interna, nulla est oratio; ergo hoc ipso, quod sub mortali ad orationem obligaris, sub mortali item ad aliquam attentionem ex prædictis obligaberis. Nec refert, quod Ecclesia non possit per se actus internos præcipere; potest enim eos præcipere, ut sunt necessarii ad actus externos debite præstandos, ut sint actus virtutis. Quo modo cum possit præcipere confessionem, potest etiam contritionem. Dixi, *cum attentione interna virtuali saltem*: etsi enim melior sit actualis, sufficit tamen virtualis; quam Bon. & alii communiter dicunt manere ex actuali, quamdiu non revocatur expresse, vel tacite per distractionem voluntariam, vel actionem cum debita attentione incompossibilem. Unde licet involuntarie distraharis, virtualiter tamen attendis. 1. Si in genere intenderis officium dicere, modo consueto, vel animo laudandi Deum, vel satisfaciendi tuo muneri. 2. Si cum confusa aliqua apprehensione & proposito opus consuetum faciendi recites, v. Bon. d. 1. q. 3. p. 3. Ex dictis resolves.

I. Is, qui dubitat ob evagationem mentis, an aliquid omiserit, si probabilem conjecturam habeat, se dixisse, vel quia proposuit initio attendere, vel quia se reperit in fine v. g. psalmi, præsumere potest, se dixisse, si ex libro, vel memoria, cæteroqui non errare solita, dixit, proindeque melius erit, si non repetat, ad vitandas anxias con-

consuetudines, & scrupulos, & ut totum officium sine perturbatione decurratur. Ita *Binsf. c. 11. d. 13. Laym. c. 5.*

II. Qui sponte distractus nullam harum attentionum habuit, graviter peccavit, teneturque secundum sententiam communem Horas repetere, nec fructus facit suos: quia non fecit opus præceptum, quod erat, ut devote oraret. *Sorw. Nav. Regia. Fern. Suar. Bon. & Trul. l. 1. c. 7. d. 17.* ubi ex *Nav.* addit, non excusari à mortali eum, qui recitationem horarum ita differt, vel ita se componit, ut advertat se somno præoccupandum; v. g. si Completorium vesperi reservec dicendum in lecto, sciens se tunc somno solere obrui. Quidam tamen Doct. paulo ante citati negant, eo casu necessariam esse repetitionem; eo quod substantia operis sit impleta, absque circumstantia devotionis. Multoque magis ac probabilius iidem negant, obligationem restitutionis; eo quod ad illam tantum teneantur, qui officium omiserunt, non qui distracte dixerunt. *v. Bon. l. 6. Less. Laym. & Dian. t. de Horis R. 1. & 2. Escob. tr. 5. E. 6. c. ult. n. 62.*

III: Cum recitatione officii conjungere actiones, quæ notabiliter non impediunt, (v. g. induendi, abluendi) veniale est, si fiat sine causa; alias nullum, *Escob. l. c. cap. 7.* Qui vero advertenter occupat se aliqua re impossibili cum attentione interna, v. g. scriptione, lectione, &c. graviter peccat, & præcepto non satisfacit; atque adeo tenetur repetere, *Nav. Suar. Bon. Trul. l. c. vid. infra lib. 5. c. 3. dub. 7.*

DUBIUM III.

Quid Clerici possint circa dispositionem fructuum suorum Beneficiorum?

Resp. I. Clerici beneficiarii, quoad eam partem bonorum Ecclesiasticorum, quæ necessaria est ad congruam sustentationem, & decentiam status, ita fiunt domini, ut de iis possint libere disponere. Ubi recte notat *Navar.* hanc congruitatem & decentiam habere latitudinem, & suos gradus; proindeque, si infimum congruæ sustentationis pretium sint floreni 300. medium 400. summum 500. Clericus autem infimo vivat, de reliquo libere posse disponere. Ita *communiter* : quia id acquisivit ut stipendium sustentationis, quasi mercedem operis præstiti.

Resp. II. Probabilius etiam est, contra *Navar.* & multos *Canonistas*, Beneficiarios non regulares (secus enim est de regularibus, ut v. *Lugo* t. I. d. 4. s. 1. n. 2.) absolute esse dominos omnium suorum proventuum, ideoque etsi in profanos usus expendant, non teneri ad restitutionem. Est communior inter recentiores, apud *Binsf. Maldorum* & *Bon. d. 4. p. 1. ex S. Tho. Soto. Mol. & c.* tum quia fructus faciunt suos, ut supponit *Trid. sess. 24. cap. 12.* tum quia alioqui non possent fructuum dominium in alios transferre, (extra pios usus) omnesque eorum donationes, contractus essent invalidi, & ut tales à iudice declarandi, & bona Ecclesiæ restituenda : quod cum nunquam

quam sit factum, præsumi non debet esse faciendum *C. Lugo d. 4. num. 1.* Quo non obstante, teneri eos ad bona Ecclesiastica, congruæ sustentationi superflua, expendere in pios usus, tam est communis sententia, ut *C. Lugo d. 4. num. 10.* dicat, nimis singularem esse sententiam *Petri Hurt. & Dian.* dicentium, eos satisfacere, si (seclusis gravibus necessitatibus) erogent in communibus necessitatibus, quartam partem reddituum Ecclesiasticorum, vel certe dimidium ejus, quod congruæ sustentationi superest. *v. C. Lugo l. c.* ubi plurimis pro se citatis Auth. ostendit, *Toletum, Mol. & Ban.* male citari pro contraria sententia; imo ipsummet *Hurt. & Dian.* in ea non perstitisse, atque nulla vel autoritate, vel ratione fulciri: ac denique suam multis probat, præsertim ex *Trid. sess. 21. c. 5. de ref.* ostenditque, istam obligationem nasci ex jure, non tantum humano, sed etiam divino naturali. Vide etiam *Bon. l. c. p. 2.* Porro congrua sustentatio Clerici censetur, quæ necessaria est, ad status & familiæ sustentationem, secundum conditionem status, gradus, dignitatis, qualitatis, & regionis, in qua habitat, *Bon. l. c. Mol. Laym. C. Lugo, & c.* Unde resolvuntur hi Casus.

I. Congrua sustentatio non est æqualis respectu omnium: quia plus requirit Episcopus, quam Diaconus: Decanus, quam Canonicus; Canonicus in Ecclesia principali, quam Parochus; debilis & tener, quam robustus & valens: & quod sufficit in uno loco, non sufficit in alio. Quapropter attendi debet ad usum aliorum timorata

con-

conscientiæ, in eodem gradu, &c. Nec obstat, quod Beneficiarius emerferit ex humili; quo minus possit statui suo convenientes sumtus facere, ut ex *Molin. docet C. Lugo l. c. v. Bon. l. c. n. 8.*

II. Nomine congruæ sustentationis, etiam intelligitur debita hospitalitas, non tantum in pauperes peregrinos (qui maxime commendantur Clericis à Trid.) sed etiam urbanos. *C. Lugo num. 66.*

III. Debita, quæ Clericus contraxit pro sua sustentatione, vel ob piam causam, potest solvere exreditibus Ecclesiasticis, non item, quæ contraxit ante Beneficium obtentum, nisi sit pauper. *Ib. n. 67.*

IV. Potest Clericus ex bonis superfluis, licite in studiis alere suos consanguineos, si aliunde non habent; eo quod parentes vel nolint, vel non possint alere in studiis. *Ib. & Bon. p. 2. n. 13.*

V. Si habet sorores pauperes, vel filios spurios, ex fructibus Beneficii dotare licet, si aliunde non potest; quia naturali jure debet illis alimenta, in quorum locum succedit dos. *Mol. Binsf. &c.* Cavendum tamen sub mortali ne vel illas notabiliter supra statum exalter; vel legitimis æquet: etsi nobilis plus possit dare, quam alius infamæ sortis, v. *Laym. l. 4. tr. 2. c. 3. n. 4.*

VI. Si bona superflua expendat in usus profanos, v. g. in venationes, canes, equos, parasitos, ludiones, luxum, in amicos, cognatosque ditandos, &c. (quod intellige de quantitate notabili in genere prodigalitatæ, quæ longe major est, quam in genere furti) graviter peccat quidem, non ta-



men tenetur ad restitutionem; quia est dominus fructuum, & consequenter neque is, qui accipit, ita contra *Navar.* &c. communiter Doct. alii ex *Trid. sess. 21. cap. 2. Azor. 1. 2. l. 7. c. 8. q. 2. v. Laym. l. 4. t. 2. c. 3. n. 4. Bon. d. 4. pag. 2. num. 9. & pag. 4. n. 1. &c.*

*Quæres 1.* Quæ teneantur in pios usus expendere? *Resp.* Ea omnia, quæ acceperunt, sive ab Ecclesia, sive ab aliis, tanquam procuratores cultus divini; non autem illa, quæ in cultum divinum oblata non sunt, vel jam ab Ecclesia in cultum divinum sunt expensa. *C. Lugo d. 4.* Ratio, quia prima habent annexam obligationem religionis, posteriora non: vel si habuerunt, ea jam est extincta per expensionem in pios usus. *Vnde resolvuntur.*

I. In profanos usus expendi possunt à Clericis bona patrimonialia; eaque, quæ hæreditate, industria, donatione, aliove modo, ut Laici, acquirunt. vivendo interim ex Beneficiis. Item quasi patrimonialia, hoc est, quæ acquirunt quidem ut Clerici, non tamen ut redditus Beneficii, sed ut stipendia alicujus officii Clericalis, v. g. ratione concionis, pro Missa, funere, officio defunctorum, administratione Sacramentorum, anniversariis, &c. *Sanch. C. Lugo l. c. n. 23. Bon. p. 2. n. 19.*

II. Probabilius est, in profanos usus posse expendi distributiones, sive præsentias (ut vocant) quæ Beneficiariis ob præsentiam in Choro distribuuntur. Ita *Sylv. Bon. C. Lugo n. 24. Bon. p. 1. n. 3* contra *San* &c.

III. Fructus, qui dantur ob Capellaniam, vel  
Vica-

Vicariam non collativam, sed ad nutum amovibilem, possunt expendi in usus profanos: quia non sunt fructus Beneficiorum, (hoc enim confertur per collationem Canonicam) sed bona quasi patrimonialia, v. C. Lugo n. 28.

IV. Probabiliter etiam Pensionarius licite suam pensionem expendit in usus profanos: quia eam Papa extrahit ex redditibus Beneficii, & dat alteri, qui id Beneficium non habet C. Lugo l. c. contra Bonac. & c. Secus est de eo, qui Beneficium habet in commendam, quia substituitur loco Beneficiarii. Ibid.

V. Partem, quam Clericus parce vivendo, sibi servat ex congrua sustentatione, licite expendit in usus profanos: quia expensa est jam ante in usus pios. Ibid. & Bon. d. 4. pag. 2. num. 14. ex Malin.

Queres II. Quid intelligatur nomine usus pii?

Resp. Qui vel ad cultum divinum, vel misericordiam spiritualem, aut corporalem ordinatur: v. g. ad cultum templorum, necessitatem pauperum, hoc est eorum, qui non habent necessaria, sive ad naturam, sive ad statum servandum: item in usum religiosorum, in Capellanas, Missas, suffragia pro defunctis, hospitalia, &c. Unde resolvuntur sequentes Casus.

I. Si Clericus superflua expenderit in usus profanos, v. g. emerit bona immobilia, non potest hæc retinere; quia obligationi, bonis iis annexæ, non satisfacit, & adhuc potest satisfacere, cum bona empta pretio æquivalent, C. Lugo n. 43. vid. Bon. n. 20.

II. Qui in usum profanum à Clerico bona accipit dono ex superfluis, potest excusari à peccato, si eum non induxit ad talem donationem, neque per eam Clericus redditur impotens, ad superflua expendenda in usus pios, v. C. *Lugon.* 40. Quia Clericus ex patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus potest substituere.

III. Clerici quidem ex consuetudine multis locis recepta, licite possunt testari de redditibus Beneficiorum, non tamen nisi ad causas pias: nisi enim ubi consuetudo invaluit, etiam in usus profanos valide testentur, peccant tamen mortaliter. v. *Less. l. 2. c. 19. d. 4. Laym. l. c. Bon. d. 4. p. 3. n. 2 & 5. Trid. sess. 2. c. 1. de ref. & sequitur ex dictis. Nisi tamen fecerint cum facultate Papæ; quæ licet superveniat testamento jam condito, facit tamen illud convalere. Sanch. Salas, *Dian.* p. 8. t. 3. R. 99. v. *supra* l. 3. t. 5. c. 4.*

#### DUBIUM IV.

*Quis sit habitus Clericorum, quæ artes, officia, actiones iis prohibeantur?*

Resp. I. Clericos majoribus ordinibus initiatos, vel etiam minoribus, si habeant Beneficium, quoad habitum obligari ad ferendam tonsuram, & vestem Clericalem, quæ non debet esse virgata, in qua diversi coloris virgæ ducantur, nec partita seu dissecta.

Resp. II. quoad artes, prohibetur macellarium, tabernariorum, jaculatorum, quorum etiam ludis, uti & hastiludiis, prohibentur interesse. Item medicorum aut chirurgorum, ubi opus in-  
cissione

cifione aut aduisione, nisi, ut habet *Navar.* erga pauperes, aut propinquos, aut in necessitate.

Resp. III. Quoad officia, prohibetur (si sint Beneficiati, vel initiati sacris) officium Judicis in causa sanguinis, Advocatorum, Patronorum, Tabellionum, seu Notariorum, in placitis secularibus. Quod addo, quia in specialibus quibusdam casibus hæc licent, v.g. advocare pro Ecclesia, pro personis non debet se immiscere negotiis secularibus, *Sayr. l. 18. c. 25. n. 6* (qui tamen concedit instrumenta ab eo facta valere,) *Bon. in præcep. d. 10. q. 3. p. ult. Lay. l. 2. t. 1. c. 8. n. 4.* & notat, consuetudine inductum esse, ut officio Cancellarii, Consilarii, imò etiã Judicis fungi possint in causis civilibus.

Resp. IV. Quoad actiones, prohibentur arma portare, nisi in itinere, tabernas intrare, venationi clamoræ vacare (quod addo, quia venatio sine strepitu, recreationis causa permittitur) accipitres vel falcones alere pro venatione, aleis aut taxillis ludere, mercaturam aut negotiationem lucris causa, (non tamen necessitatis) exercere, cohabitare mulieri, nisi sit mater, soror, amica, aut certe talis, quacum nullum periculum aut scandalum imminuat. *Less. l. 2. c. 5. d. 9. n. 40.* *Cajet.* tamen *v. Clericis*, contra *Angl. & Nav.* docet horum & similium transgressionem non esse mortalem, si absit temeritas, contumacia, contemptus & scandalum, *v. Laym. lib. 5. tr. 8. cap. 12. n. 2. & 3.* Nec refert, an, quod transgressor sit excommunicandus; quia hæc poena est sententiæ ferendæ, quam non nisi contumax post monitionem incurrit. Quod tamen univèrsim *Nav.* putat esse laxius, maxime

eum Canones utantur verbo, *præcipio*. Unde ait esse mortale, si habitum vel tonsuram non gestent. Quod restringit *Bon. disp. 8. de sacram. q. 1. p. ult. n. 8.* si sint initiati majoribus ordinibus, aut habeant Beneficium, & tonsuram, vel habitum longo tempore, absque iusta causa, non gestent, tuac enim peccare mortaliter; citat que pro se *Rogin. Navar. Henrig. Vasq.* Negat tamen *Sylv. & Laym. l. c.* si non sit notabilis excessus supra loci consuetudinem. Negotiari verò esse mortale, concedit idem *Laym. lib. 3. tr. 4. c. 17.* & alii commun. Sed de hoc vide supra *lib. 3. cap. 3. dub. 7. de emptione & venditione.*

## CAPUT III.

*De statu & officio personarum secularium quorundam, præsertim judicialium.*

## DUBIUM I.

*Quæ requiruntur ad legitimum iudicium?*

*Resp.* Hæc tria. Primum est. Jurisdictio, sine qua sententia nulla est, & peccatur mortaliter, ut ex *D. Thom. 2. 2. q. 60.* habet communis. Quare peccat Iudex sæcularis, si personas, aut causas mere Ecclesiasticas, ad se trahat: uti & Ecclesiasticus, si mere civiles. Nisi forte per accidens, ob defectum justitiæ in foro sæculari, aut nisi sint causæ miserabilium personarum. Porro quæ causæ dicantur mere civiles, quæ Ecclesiasticæ, & quæ